

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Sanctae Mechtildis virginis ordinis Sancti Benedicti Liber specialis gratiae

**Mechthild <von Hackeborn>
Mechthild <von Magdeburg>**

Pictavii, 1877

XVII. Quod virgo beata immunis ab omni peccato fuit in hac vita per
gratiam non per naturam.

[urn:nbn:de:bsz:31-60070](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-60070)

XVII. QUOD VIRGO BEATA IMMUNIS AB OMNI PECCATO FUIT
IN HAC VITA PER GRATIAM NON PER NATURAM.

OMARIA, [gloriosa] imperatrix, [Mater Dei] et domina mea, interrogata sum si in carne vivens peccare potueris super terram. Spiritus Sanctus, sanctificator et inhabitator tuus, me instruxit quod culpas committere humanitus potuisti, cum in vera humanitatis femineaque natura nulloque ejusdem naturæ defectu omnipotentis Dei dextera te creavit, quæ et castitatem tuam nobilem pretiosamque reddidit coram ipso; attamen insuper super omnes homines deificata per gratiam immunis ab omni peccato extitisti. *In tota vita tua similis angelicæ puritati permansisti.* Omnipotens quippe Pater tuam benigne protexit infantilem pueritiam, per prædestinationis electionisque providentiam sempiternam. Spiritus etiam Sanctus tuæ gratissimæ juventutis gubernavit florem per suavissimam suæ dilectionis præsentiam, *delectationisque divinissimæ internam experientiam.* Ipse quoque, Dei virtus et Dei sapientia, Jesus Christus, sicut florem roris stilla, universa tui corporis perlustravit membra, inhabitandoque penetravit viscera, quod tibi permanet perpetuo virginitas incorrupta. Naturam tuam occupavit [virtus sanctæ Trinitatis], quod in ea nunquam nec minimus motus illicitus pullulavit. Æterna sapientia omnipotentis divinitatis te sic, o Domina, obumbravit ut naturaliter secundum hominem viveres pœnalitatesque communes omnibus sine culpa sustineres, tuaque florens essentia, ne in nihilum in tam potenti [sole divinitatis] redigeretur, potentia firmaretur. In hac umbra refrigerii mirabilis gratissima concipiens, Jesum portasti sine pondere, et educasti Virgo materna dulcedine. Vere, Domina, Angelica legatio a summo Patre porrecta, immaculata nativitas Filii Dei ex te perfecta, sic te igne divino succenderat et lumine gratiæ perfunderat, ut merito rubus incombustus, ardens et lucens, visione præsignatus Moysi, nomineris. Deinceps, o Domina, refrigeravit te pauperies indiga, inquietudo eventuum varia, exilii protractio longissima, cordisque

III. 4.

molestia gravissima. Verumtamen igne qui sine initio fomentoque *lucet et ardet* extraneo, qui tuæ mentis templum illustravit, intus in corde ardens inextinguibiliter permansi; cujus lucis claritas omnes a te tenebras expulit et fugavit.

XVIII. DE INCOMPARABILIBUS REVELATIONIBUS.

V.23. in fine.

CUM adhuc in hac peregrinatione terrena Regina cœli exularet, Virgo gloriosa loquebatur piis mentis affectibus ad dulcem Filium cum voluit. Filiusque matrem honorans venerabilem, ut oportuit, divinarum illuminationum responsionibus desideriorum suorum voces exaudivit, ut decuit. Unde confortata cordis molestias in patientia sustinuit et libenter. Hæc autem talis et tanta familiarium revelationum celsitudo nulli sanctorum est communicabilis, quorum etiam nullus fuit vel erit Matris Virginis dignitati similis.

Nam et illa specialissima Christi amatrix, cui dimissa sunt peccata multa, quæ ipso teste dilexit multum, a tam præcelsis illuminationibus longe fuit. Cum enim Dominum Jesum corporalibus oculis non videbat, vehementissime tristabatur, et cor ejus *amore languens* dolore inconsolabili vexabatur. Ardebat quidem charitate magna sed simplici, carens illuminationum plenitudine divinarum, donec adveniente [in Apostolos] Spiritu Sancto, divinitatis amore est magnificentius vulnerata. Nostra autem imperatrix, Dei Genitrix Maria, cujus anima præ omnibus creaturis ardentissima flagrabat divinitatis charitate, ac limpidissima sanctæ Trinitatis fulgebat cognitionis claritate, in omnibus Filii actionibus, passionibus, miraculis, glorificationibus, patienter et quiete disciplinam Patris sustinuit in humili molestia, in bonis et gloria Filii gaudens, et gratias agens in Domino exultavit.